[illegible] ...mirus
Episcopus [illegible].

a Cracnoviensi. Coll. S. J. Reverendissimus Illmus ac
Excellmus D. Casimirus Lubienski salutatus.

REVERENDISSIMVS ILLVSTRISSIMVS AC EXCELLENTISSIMVS DOMINVS D. CASIMIRVS

à ŁVBNA

ŁVBIENSKI

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPVS CHEŁMENSIS,

Sede vacante EPISCOPATVS Cracoviensis,

ac DVCATVS Severiæ,

nec-non ABBATIÆ Czervenensis,

Perpetuus ADMINISTRATOR

pronissimo cultu in primo Cathedræ aditu

à COLLEGIO CRASNOSTAVIENSI

SOCIETATIS IESV.

SALVTATVS.



LVBLINI, Typis Collegii Societatis IESV.
Anno Domini MDCCVI.

GEMMIFEROS EXPANDE SINUS, DEPROME TIARAS
DIVE HONOR. HUIC CAPITI NON SATIS UNA MITRA



ILLVSTRISSIME REVERENDISSIME AC EXCELLENTISSIME ANTISTES



Llam adis Cathedram, in qua olim eminuerat CELSISSIMVS, ac REVERENDISSIMVS MATHIAS ŁVBIENSKI Avus Tuus; donec vocantibus aliò meritis, ac cæli favore, tiara Posnaniensis, mox Vladislaviensis, tandem Gnesnensis primum Principem, regniq; Primatem inauguraret, atq; Tibi eandem ad pares Infulas consignaret viam; ne tantùm imaginibus, & avito Nomine refulgeres. Itaq; non primùm aræ Chelmenses his ceris, quibus nunc, collucent, nec primùm ab eminenti Capitulo Caput hoc adoratur. Attolle oculos, qui neq; nos despiciunt, in templi fornicem: Caput Bisontis tui leges. Imminet solio Tuo, Tuo Capiti; sed non ventosæ ambitionis labarum. Monumentum

est liberalitatis LVBIENSCIANÆ, quæ tristi vastitate procumbentis Ecclesiæ situm detersit, ruinas stitit, & veluti cælum testudine lunata suspendit, ut non modò de hominibus bene, verùm de ipsis tectis mereretur munificentissimus PRÆSVL. Ergo per vestigia majorum incedis, pæne ab urna reducis Avos ad decus, ad solatium, ad regimen, tanquam hereditarii Pontificatûs. Interim percontandus videris, an satis animi, sit ille vastissimus, afferas ad munus hoc, ubi fatorum atrocium lucta exsurgit? An enim pondus humeris tuis non sedit gravius illo, quod Pöëtarum fabulæ Atlanti imposuere? Infulæ Chelmenses Cæsariem sacram ambiverunt: ô quot solicitudinibus augustum Caput devovetur? Idem titulus Senatui Polono Te asserit: quot curæ, quot consilia de temporum calamitatibus nata versabunt animum? Diæcesim prostravit belli inclementia, egestas populos quatit; ut neq; tripudiantium oculi Te valeant salutare, nisi lacrymis graves. Dissentiunt vultus, atq; palpebræ ab animo, cùm hic gestire cupiat recepto Præsule, ac Patre, illæ sepultam intrò anxietatem egerant, explicentque fletu. In Vrbe ipsa, quæ Tibi Sedes est, quærenda Vrbs! Ignis bellicus tecta cum fumis in aërem dimisit, rudera, & squalor funestârunt aciem Civitatis, sub ruti hiant fornices, atri fuligine camini tristè eluctantur, rari, & sine penatibus Cives, heu jam non habitatores oberrant, se-ipsos quærunt, suspirant, gemunt, fata lacrymis tantùm ulciscuntur! Cuncta Zephyri perflant! Vt malis augeremur, pestem infortunia vocaverant in suppetias; sed Superis non videbamur esse tanti, qui tot adversa pati mereremur. Subsidit tandem lues, ut aliis suppliciis exerceremur. Populis sic tabescentibus, & atra nube involutis, altaria nitore prisco collucerent? eadem nox incumbit sacris, quæ profanis: nec divina caput efferunt sublime, cùm ruunt humana. Vnicus Tu splendor, sol imò fortunis ita caligantibus affulges, ades subsidium rebus fessis. Inferes Te concilio Patrum Conscriptorum? ardua sunt consiliorum molimina, quando perplexas alibi, alibi ma-

lis

Iis attonitas mentes attinent, ſuſpenduntq; infortunia publicæ rei. Hæremus velut Prometheus Caucaſo adſtrictus, revolvimus conſilia perinde, ac ſuum Siſyphus ſaxum. Primo in aditu ſic plaudimus Tibi PRÆSVL ILLVSTRISSIME juxta, ac FORTVNATISSIME? hos pæanes occinent laſſati deſideriis Cives? tripudiis permiſcebit ſe diſcriminum confeſsio? ominoſæ utiq; ululæ, triſtiſsimæ larvæ, ferales umbræ! Patieris hanc gemendi neceſsitatem, neq; plauſus feſtivos ſuſpiriis temerari putabis. Nam & proles ſaucia, vel cæſa, in adventu Parentum plagas, ac dolorem explicat; quaſi unica foret medela, poſſe conqueri, ſolatium, & doloris lenimentum, ſi Pater ſciat. At at triſtiſsimas noctes excipit lætitia diei, pelagum tempeſtate turbidum componit malacia, cælum nubilo fædum ſerenitas evolvit, & lætæ faciei reſtituit. Erigimus jacentem fortunam ſpe magnifica, & vota non illudentia ſibi de buſtis, & ruderidus exſurgunt. Publicæ enim felicitati occurrere videmur, cùm Tibi Antiſtitum deſideratiſsime occurrimus; quando faſces etiam, ac titulos, quibus Tua ſe gloria ſuſtollit, non honorem duntaxat Tuum; ſed fortunam communem reputavimus. Quæ enim Provinciis, aut laus præſtabilior, aut amplior felicitas evenire poſsit, quàm Proceres nomine ingentes, præcelſi animo, & perinde virtutis, ac natalium dignitate Illuſtriſsimi, qui ut vivunt ad commoda terrarum, ita in ornamenta ſeculorum refulgent? nobilitat ſe honor magnificentiâ dominantium, faſcibus quoq; pretium accedit immenſum, ubi non ignava, vel damnata ad opus plebeium manu prenſantur. Nempe ut attactu ipſo conſecrantur aliqua, aliqua perficiuntur, ſic ingentia nomina titulique illuſtriſsimo Quiritum nomine ſerenantur, atq; è Procerum numine divinitatem participant. Ite iam decora plaudentium agmina, tripudiantes Iuvenum, ſenumque Chori circumvolent, præeant rhedæ, curruſq; lætitiâ, veluti triumpho graves: Sacra hinc Corona Sacerdotii ambiat latus Præſuleum, longoque ordine procedat, vultu, animo gaudia, quaſi trophæa præferendo; hinc ſe purpureorum Patrum

adoranda Capita, gradu ſuſpenſo, tarda Majeſtate, inferant: omnibus ſe annumeret plebs promiſcua, dum publico Parenti occurrit. Nemo vilis eſt ad vota, plauſusq; , ſi eadem cauſa lætitiæ, cunctis intercedit. Neq; Tu ullũ excludis à latere Tuo, vel conſpectu, plaudendiq; officiis; qui omnibus adveniſti. Succede feſtivis agminibus Magne PRÆSVL, Senatus Poloni Sidus, Antiſtitũ decus. Hæremus ſacro lateri non ſecus, ac radii ſuo ſoli. Patent Civitatis portæ, Civium ſtudia, Sacrarum ædium arcana. Cum verò, fragores reboantium tormentorum non immugiant: tripudiis, ac ſuſpiriis in lætitiam laxatis ſonant pectora. Hexaphorũ, quo inveheris, Dominum ſentit, MAGNOQVE SVPERBIT PONDERE. Publicæ acclamationes Te loqvuntur, Tuo nomine vocales, & vici, & fora perſonant. Te infantes balbutiunt, atq; monitu Parentum, antequam bene cognoſcant, attoniti mirantur, oſtentant: Te ætas adultior, qualem exambivit votis, adorat cultu proniſsimo; Te ſenectus annis laſſata ſuſpicit, & ſenili admurmuratione, tuſsique ingeminat; talis quondam MATHIAS LVBIENSKI in Vrbem hanc invehebatur, hac animi moderatione, hac vultûs majeſtate, hac virtutum pompâ. Revehet annos felicitate florentiſsimos, qui revehit Avum, nomine, animo, ſe toto.

Statius l. 1. Sylva:

Quod ſi autem obeliſcos, ſtatuas, arcus triumphales, vel cætera tumentis gaudii monumenta quiſquam deſideret, veniat in mentem, totidem obeliſcos aſſurgere, arcus totidem inflecti, quot Turbæ in plauſus conſpirârunt: conſpirârunt verò univerſæ. Magnificentius eſt iſtud, quàm ſi exercitus monumentorum ære, aut marmore effictus producatur, ſi ſaxa animentur ad plauſum. Simulacra, imbecilla admodum, & mortalia ſunt: diuturna animorum pompa. Expende iam Magne ANTISTES occurentium vultus, utique indices mentium, conſule oculos, utique interpretes animorum. Vbique releges lætitiam, vota, & citra, aſſentationem plauſus.

Vltima geſtientium (etſi Societatẽ IESV alio reponas loco, ut Tui quondam maiores,) pars convolavimus,

Noſtra

Noſtrâ etiam in triumpho hoc deſideria ducuntur, & inſtructis, plenisque votorum pectoribus, velut carpentis invehit ſe lætitia. Pompam averſatur, imò ignorat modeſtia; Arcus tamen triumphales, nam unus non ſatis eſt, adornabimus. Alibi ſcribemus animi Tui dotes immortales, atque in publicum merita: ſculpentur alibi decora Illuſtriſsimæ gentis, Avorum ſimulacra, ingentia Heroum Nomina: alibi faſces, & honores, quos è decoro ſtirpis, è commodo publicæ rei geſsiſti: alibi demum, ſi Collegii Craſnoſtavienſis, ſi totius Societatis ſtudia admittes, non plauſus duntaxat, ſed animos inſuper, tanquam votivum anathema appendemus.

Videor jam ingentem hinc, atque hinc coloſſum altiùs conſurgentem ſpectare, & inter utrumq; fornices arcuatim diductos, quibus æterna Præſuleæ gloriæ monimenta, nec-non titulos committamus. Quid verò priùs, quid deinde in laudes conferatur? Multum debet fortunæ ANTISTES, plus ſibi; cùm tantùm emineat rectè factorum gloriâ, ut ſi ſplendidè naſci, non contigiſſet, ex ſe natus eſſe videretur. Tanta eſt virtutum, & fortunæ contentio! Sic utraque veluti in duello emicat; ſed probitas præcipit palmam, ſed animus ſuis inſtructus ornamentis triumphos ducit! Quot enim Præſuli ex ſe elogia? quantæ è proprio laudes? Plerisque nihil ad commendationem adſtrui poteſt, niſi comminiſcaris decora, ut totidem figmenta adſtrepant, quot virtutes recenſentur. Itaque decori fabulis, atque ex ingenio plaudentium magni, crimina cyclade, ac nominibus virtutum exornata ferunt ad poſteritatis memoriam; ſed fœdè imponunt ſeculis, à quibus tales fuiſſe credentur, quales aſſentatio mendaciis opportunâ depinxit. Tu ANTISTES, eò ſplendidior occurres ſeculis, quò minùs fingendi neceſsitatem reliquiſti. Eſſetnè Tibi fortunâ animus minor, aut, infra titulos reperet vivendi tenor? at magnum hauſiſti Patrem; hinc Tibi candoris antiqui, modeſtiæ, fortitudinis, ac temperatæ poteſtatis imitatio. At Parens piiſſima tuos in mores tranſiit: hinc innocentia, cæteræ ſine numero,

non ſine gloria virtutes. At utrumque miſcuiſti; ut utrumque ſpirares; hinc ideam poſteris formas, unde plurimi diſcant, parum intereſſe aulas inter, & aras, palatium & ſacraria: cùm domi virtus eſt, Minus erat progigni à maximis, niſi auream mentem ſolicita (ut eſt magnorum natalium) inſtitutio poliiſſet, Repebas itaque in purpura, & in lecticis creſcebas; ſed mentis, corporisque nervos non fregit indulgentia. Intelligebas coccum, neque conchylia poteras ignorare; ſed inter domus fortunatæ affluentiam in nullas innocentia Charybdes impegit. Quinimo feſtinata pietas exaggerabat illico nobiliſsimum & animum, & ſanguinem. Diffuſæ laudationis genus eſt vagitus, annosque reptantes, ſtylo amplecti: gloriæ faſtigium tenet, quòd properè in curas boni melioris exarſiſti, quòd deinde virilis ſenſûs conſcius, in illa vividæ indolis lætitia, non in flagitia præcipitari juventutem, non animum temeritate cogitationum circumagi, non florem ætatis æſtu licentiæ decoqui, præcipiqué paſſus es; verùm properâſti majora annis meditari, agitare, & maturè virum formare, qualem modò ampliſsimæ curiæ Patrum intuliſti. Libebat dignum fieri faſcibus ſummis, antequam potireris; & conſiliis imbui, priusquàm conſuleres. Quàm enim perniciosum eſt, ac indecorum artes imperandi, aut conſulendi ediſcere imperii tempore, tam ſalubre, & laudabile, inveniri aptum muniis, & magiſtratibus; ut deinde velut, è penu depromantur, quæ tempeſtiva, ſolersq; providentia condidit intra mentis penetrale. Naturæ iſta debentur primò: naturam limat, formatque eruditio. Hinc acutior animus, & prudentia cunctas in partes verſatilis: dum, quæ retro eſt, convenimus ætatem, & ſe memoria ſpargit, reducitque in antiquitates; errores, & fata populorum, quæque providè, ac fauſtè, quæ item inconſultè, aut maligno fato acta ſunt, ediſcimus. Præterea ſicut artifices illæ favorum, laborioſa gens apes, dum in prædas prorumpunt, & jam conſitos flores, viridesque arborum comas, & prata perambulaverunt, ſuccos dulces hinc inde deli-

bant,

bant, noctis humorem operosè legunt, tum prædâ onuſtæ conſcios natalium lares repetunt, alvearibus condunt ſarcinam, & fluentia intra ceras mella diſponunt; unde nectaris copia non in uſus duntaxat apum, ſed etiam humanos exuberat. Hinc & materies, unde ſacris ignibus colluceant aræ. Pariter, ubi Sapientûm monumentis ſtudium pertinax impalleſcit, tam ſibi, quàm publico laborat, ſapitque. Non ideo publica felicitas applaudat ſibi? aut Pontifici ſuo novas laudes inſcribat? at ille ſic regna, & provincias luſtravit, ut non tam peregrinas gentes viſere, quàm exterorum mores, inſtituta, ritus pernoſcere, omnes demum prudentiæ fontes haurire, plurima liberet reprobare. Exiguum enim videbatur, ſole exuri peregrino, vel exteris brumis rigeſcere; niſi in patriam revexiſſet, quo patriæ prodeſſet. Mutabat cælos; & animum. Nam quòcunque ſe inferret, hæc mentem circumſtabat ſolicitudo, ut ſemper melior, ac ſeipſo major evaderet. Itaque viſendo gentes collegit prudentiam, quæ deinceps ad clavum ſalutis publicæ ſederet. Vnum nobis ex altero naſcitur, & laus ſequens exſtingvit primam; cùm tantò eminentior ſemper occurrat PRÆSVL, quantò accuratiùs exquirimus ſeriem, quà virtutum, quà annorum.

Hebeſcit plerumque induſtria, ubi conatus teneros emollit, aut frangit ſuis permiſſa arbitriis libertas; ſæpe & proturbat animum aliò deflexa intentio. Tu ANTISTES pluribus ſcientiis ſic animum dedidiſti, ut omnes velut muſæo quodam condideris mente capaciſſima, nec una aliam, quaſi coheres inquietus, exturbaverit. Habitas cum Muſis, & Sapientiâ, omniſque ſcientia domeſtica eſt Tibi. Quæ feſtivo carmine luſerunt Poëtæ, perinde bibliothecâ tenes, ac memoriâ. Hinc orationi ſpiritus in rebus, ſublimitas in verbis. Quàm profluens, quàm elegans Suadæ copia? quàm perſpecta politicorum arcana? Statum tam profundè calles, quàm fideliter tractas. Nec oracula impexo ſermone aſperas, aut indigeſtè, acervatimq; protrudis cogitationum arcana. Ita facundiam limas, ita excolis Præſuleos ſen-

ſus, ut ore omnium, qui diſertitiſsimè, qui ſanctiſsimè uſquam locuti ſunt, videaris perorare. Quod laudabilius eſt, non Catilinariam loquentiam promis; eloquens es in terrarum commoda. Sunt tibi PECTORA, QVÆ MVNDI VALEANT EVOLVERE CVRAS: pari fide, ac prudentia patriæ vivis, non Tibi. Non enim ſententias ad popularem rationem, ſed ad publicam utilitatem vibras; poſtquam omne ſtudium, & cogitationes in reipublicæ ſalute fixiſti, nihilque Tibi niſi de Eccleſiæ commodis cogitandum ſtatuiſti. Quàm verò multus es in hiſtoriis non patriis tantùm, ſed etiam extraneis? Sic ergo cognitas habes omnes Reipublicæ partes, mores gentium, ritus regnorum, quaſi omnium incola Provinciarum. Nulla unquam tabella fideliùs ſitum mundi amplexa eſt, quàm tua PRÆSVL memoria. Quibus regna montibus aſſurgant, quibus ſe alveis flumina evoluant, quà ſubeant pelagum fluvii, tam bene perſpexiſti, utſi terras, fluminibus, ac pelago diviſas ſub oculis haberes. Præterea ſic ætati noſtræ vivis, quaſi omnem retro vixeris. Faſtos enim, & neſaſtos ætatum omnium obſequenti memoria tenes. Pulcherrimum hoc! Quos ſupra vulgum fortuna vexit; præſtat eminere vulgo: eminere autem non magis titulis, aut illuſtri paratu felicitatis, quàm eruditione. Prudentiam hæc alit, ſuppeditat conſilia, & è præteritorum eventibus de futuris decernit. Hac Tu arte conſecutus es, ut è ſublimi faſtigio mentis, omnem in partem animo excubare, & tanquam è ſpecula videre, quæ ſerus dies vehat, cumq; alii futuros exitus ſpectent, Tu eminus ſpectare poſsis. Ita capacitas mentis auguſtæ, ita vis conſilii triumphat! Iſtud aliquando ſtudium Alphonſo, Arragoniæ Principi non minus gloriæ adjecit, quàm rerum Civilium, militariumque uſus, vel quòd Titi exemplo, diem ſe perdere credebat, quo munificentia opes non perdidiſſet. Dum enim inſtructos nummis, deſtitutos ſapientiâ Proceres obſervaret, aurea vocabat jumenta, aut aureum vellus; proinde non tam caput Alphonſi, quàm ſapientia regio diademate aſſurgebat.

Statius l. 2. Sylva:

gebat.

gebat. Idcirco, orbis eruditus, Regali nomen addidit SAPIENTIS. An non idem, Pontifex, mereare cognomentum, qui ut *literas*, non judicâsti *pestem regnorum esse*; quémadmodum nonnemo, ita nec arbitraris, ut alius, sufficere administraturis summas dignitates, illud tantùm didicisse: *regnare nescit, qui nescit dissimulare*; atque ideo tam literas intra capacissimam mentem, quàm literatos intra palatium admisisti. Sic curas remittis, sic temperas publicorum æstus negotiorum. Otium hoc & putas esse Pontificiale, & amas. Humanis tantùm literis imbui sufficiebat, si tantùm civilium rerum tractatio, populorum fortunæ, fata civium, non etiam regimen animorum Tibi divinitus destinaretur. In curas divinitatis adoptandus es, vice DEI, in multorum salutem Te expendes; divina mente opus est, penetranda Theologiæ arcana, ut Theologicum caput infulæ inveniant, & coronent. Tantisper [a] *literæ infularum locò sint*: brevi tiaram excipies vertice erudito: uni succedent plures. Itaque in Latium concessit, in Collegio Romano Societatis IESV, id est in sacrario musarum, sapientiæ nido, Antistitum Seminario, veriùs in perenni fonte ingentium animarum hausit non guttulas altioris scientiæ; totam bibit. Mox plaudente Roma tam solidè Conciliorum decreta, Patrum oracula, recondita Theologiæ dogmata, DEVM ipsum in sapientissimo, qui acerrimus est, ingeniorum conflictu defendit, ut sacram scientiam non didicisse primò, sed diu tradidisse aliis videretur. Non enim tironis instar pavida pugillatione molles, & incertos ictus intentavit: veterani more jam rude donandi, atque ex arena decedentis impetu dimicavit. Quocirca non solum Doctoris titulum, Doctorem revexit in patriam. Vocabulum hoc non inanis hedera; sed verum sapientiæ nomen est. Eodem è pelago scientiarum hauserat quondam cælestem sapientiam Illustrissimus ANDREAS TRZEBICKI memorandus Poloniæ, quousque secula se evolvent, PONTIFEX CRACOVIENSIS, DVX SEVERIÆ, & verè Pater patriæ, Avunculus

C Præsu-

[a] Seneca Ep: 14.

Præsulis nostri. Peritiam utriusque juris reposcebant, controversiæ, litesque partium, quæ Tuis PRÆSVL arbitriis decernenda essent: utrumque tenaci memoria, limatissimo judicio fideliùs condidisti, quàm suis pragmatici monumentis, aut instrumentis regni. Et verò! nobilissima est scientia, tutela jurium, scutum innocentiæ, arx æquitatis, asylum pupillorū, incautæ simplicitatis præsidium, tribunalium præses, Iudicum judex. At [b] *lucrosa est, sanguinans est, & in locum teli reperta.* Ergo non colenda? Qui ferro libertatem asserunt, stipendia merentur, nec vile ducitur, lucrosa esse obsequia belli, ipsum [c] *multis utile bellum*: qui ingenio pugnant pro innocentia, vel oppugnant sontes, inglorii cur promulgentur, si pugnaci eloquentiæ præmia decernantur? Atqui juris consultorum natio, est militia togata, castra forensia. Iidem si gymnasiis annumerentur, quæ sine minervali Minerva? Virtutes ipsas pauci nudas amaverunt, quin sine dote, etsi pulcherrimæ sint, raris placuerunt. Mars deinde non sangvinarius? non vibrat tela? non fulminat repertis in exitium urbium ignibus? non propagat furores suos per elementa? Spargitur in omnes terras, & pelagos humanus cruor adeò, ut orbis mutuo sanguine jam permaduerit: labores vetusti quassantur, æternitates ruunt, evertuntur regna, cùm ferrum rapitur, ut serventur. Interim tantò gloriosior censeatur esse immanitas hæc, quantò sæviùs in bellis egit gladius. Nec eloquentiam forensem damnaverim, si quando eam sanguineam esse, intersit publici boni. Quapropter voluisti scientia juris utriusq; imbui, ut defensurus leges, ac innocentiam, præsidium legum, & innocentiæ præstò haberes. Nec enim messem aureā in campo hoc speravisti, qui intercedere casibus miserorum ingens pretium putas, ac stipendium: cui demum tantum felicitatis de patria sorte affluebat, ut etiam ditare posses, quibus Tua se obsequia probaverunt. Perspectum nihilominus erat, [d] *infida, & circumventoria* (fas sit sacrorum Præsidem ad Præsuleas laudes citare) *obsequia*, sæpe & atrociter grassari

b Tacitus de Orat: n, 12. c Lucan: lib: 1. d S, August: lib: 3. c, 3. Conf.

ſari, ubi expedita ad fallendum Suada intumeſcit typho, *eò laudabilior, quò fraudulentior*, ubi *nomen ſæuum, inſigne urbanitatis eſt*. Sæpe hîc æquiſsimi rerum judices delinquunt in æquitatem ideo, quòd rectæ ſed obtuſæ mentes, quibus non in procinctu excubat ratio, decernant. Itaq; optimæ cauſæ ſimiles ſunt malis, & innocentes rei, multis veroſimilibus premuntur. Adſtant enim judiciis, quibus propoſitum eſt, non innocentiam tueri, vel evertere flagitia, ſed callidæ machinationi arcem ſtruere, ſed promere facundiam, ut gloriam ingenii mercentur, vel, quod deterius eſt, nummos venalis Suada emungat. Tibi promptum eſt, ambigua perſpicere, perſpecta è veritatis tantùm judicio ſancire, neceſsitas. Si involucra Sphyngis nectantur, Oepidum, ſi Gordii nodus, Alexandrum agis. Quis non dicat Te ſuccinctum ad juſtitiæ, non ſecus ac Hectorem ad Trojæ tutelam excubare? Literarum ornamenta ſunt virtutes: iſtis animum inſtruxiſti: his etiam erigi mavis, quàm jactantiâ titulorum, vel tiaris. Quam in animo condidiſti de virtutibus Philoſophiam, ac Theologiam, eandem vivis. Quidquid enim ſpeculatus es de honeſto, exhibes agendo. Quo præſtiſti, ut omnis ferme de virtutibus ſcientia, Tibi ſit practica, vitam imò Tuam feceris Philoſophiam, ac Theologiam. Quoniam didiciſti, [c] *altum quiddam virtutem, quiddam excelſum, regale, invictum eſſe*: arbitraris autem mancipia purpurata, qui, dum provincias gubernant, & ſe per ampliſsimos ſpargunt honores, vitiis ſubiguntur: idcirco ſummum imprimis Tibi eſt in judicio bonum, & habitudine mentis optimæ: deinde ut judicio conſentiant non humiles conatus, monitor tibi es, & non lenis exactor excelſæ probitatis. Non repis itaque cum populo, poſtquam omnem induſtriam huc exſeruiſti, ut quemadmodum felicitas Te exemit vulgo, ita animus magnificè, regaliter efferret ſe ſuis inſtructus ornamentis. Sola hæc eminendi arrogantia notam ambitionis fædæ haud incurrit: contrà plebeium eſt, & ſceleri affine, tantùm non eſſe improbum. Sanctitas morum non modò extra confinia vitiorum habitat: in regiam virtutis ſe penetravit. Quamvis autem nume-

b idem. c Seneca de vit: beat.

roſo agmine, & fronte ſublimi, inferant ſe animi decora; attamen primò illud, & admirari libet, & ſtylo attollere, quòd flagitiis nomina virtutum nunquam impoſueris, neque ſub elegantiæ, vel probitatis vocabulo, crimina aliquando obrepſerint Tibi, etiam tunc, dum primæ juventutis impetus, faciles haberet vias, cùm ad virtutes, tum, quod pronius eſt, ad vitia. Novimus pleroſꝗ ſceleribus dignitatem quærere, atque ingenioſo peccandi luxu ſuffragium noxis addere. At verò ſua ſe chlamyde virtutes tegant, etſi non Phrygianâ, proferant vultus virgineos, quos iis modeſtia compſit: venuſtiſsimè incedunt. Nihil præ genis, præ oculis adulterinum emicet; ſic eas virtutum ſator efformavit. Et nuda probitas ſpectabiliùs incedit, quàm flagitia ſplendidè pompis, laudibus, publica approbatione adornata. Nam & claro ſeſe deformant amictu; quin tantò fœdiora, magiſque maculoſa occurrunt, quantò plus elegantiæ ſibi conſciverunt. Contineant ſe conclavi ſuo virtutes, etſi ſummiſso: habitent noxæ ſuis in ſpelæis, quàm ſuperbè inſtructis, tam dedecore notatis. Itaꝗ non placuit Tibi rigor quo conſtantia, non ignaviam vocas moderationem, non temeritatem, malarumque rerum audaciam, fortitudinis, aut prodigalitatem munificentiæ titulo adornas: uti etiam perſpexiſti, plurimum intereſſe inter ſublimem animum, & ſuperbum, nec honeſtior pertinacia videtur, quàm pœnitentia. Quò factum eſt, ut nec in audaciam erumperet malè diſpenſata libertas, quam ſemper à licentia diſcreveras, nec unquam abrumperet frenos pudicitia, cui mens caſtigata, & pavida ſemper innocentia non unum adſtruxit propugnaculum. At f Neque *corrumpere, & corrumpi ſeculum unquam vocaviſti*. Affine eſt, quòd magnam libertatis partem cenſeas eſſe, non adſtringi, judiciis vulgi, qui ut peſsimus eſt veritatis interpres, ſic iniquus moris æqui, & dignitatis judex. Quin etiam g *gloria popularis nec judicio provenit, nec firma perdurat*; proinde quamvis ingens ſtudium gloriæ, magnique nominis cura, & diuturnitatis amor Te ſolicitet, utique res homine digniſſima, licèt poſteritatis memoriam non reformides, ut potè

f Tac: de mor: Germ: g Boet lib: 3.

potè nullius Tibi conſcius culpæ; imò comitatu rectiſſimè actorum deducendus ſeculis ad exempla, extenderes Atavorum nomen cum Tuo; Tibi nihilominus obſtinatum eſt neſciri, ac etiam occidere cum majoribus, quibus æternitas debetur. Tantò ſtudioſiùs captare auras populares, & à levi ſuſurro famæ pendere non ambis, imò viliſsimum putas: laudatiſsimum vero prudentûm conſilio niti, ex arbitrio ſapientiæ cuncta moderari, bonis coſcientiæ frui, nihil metuere niſi turpem famam, ſumma fortiter aggredi, & peragere immobili mente: ſectari, non quod uſitatum eſt, ſed quod optimum. Potiſsimum verò alimentum egregiæ mentis habes, quòd [h] *inſitum peſſimo cuiq; boni exempli odium* non patiare; ſed te componas ad ideam optimorum, præſertim ingentium Præſulum tuæ propaginis. Tene modum hunc ILLVSTRISSIME, perſta in eorum agmine virorum, quibus propoſitum eſt, diſplicere peſsimis! [i] *quorum quidem tametſi eſt numeroſus exercitus, ſpernendus tamen; quoniam nullo duce regitur, ſed errore tantùm temere, ac paſſim lymphante raptatur.* Quemadmodum verò malis diſplicere, laudari putas, ſic bonorum judicio florere, etſi non ambias, gaudes. Summum gloriæ nonnulli viſum eſt, ſi illum Marcus Cato, ſi Lælius ſapiens, ſi duo Scipiones, nè ficta quidem ſuſpicione damnarent, eò, quòd proborum judicia ſint teſtimonium immortale. Quantò beatius eſt, te non advocare ſenſum Catonis, non Lælii, non Scipionum; ſed ſummorum in Eccleſia, regniſque Procerum arbitriis approbari? Horum quia favor nullis quæſitus aucupiis obtigit Tibi, ſecula occupâſti laudibus. Dicent poſteri: LVBIENIVM, Sedes Vaticana, id eſt apex rerum, & veritatis, LVBIENIVM curia purpureorum Patrum, magnorum Antiſtitum corona, optimorum conſenſio probavit: optimum, & priſci moris Pontificem fuiſſe argumentum eſt. Non erravit opinio de virtutibus, ubi conſtans fama, ac ſententia virorum ingentium conſonat ſibi. Quàm pulchrum hoc, quàm glorioſum, & omnibus ſeculis memorandum, quòd eodem loci, nempe in divino illo conſeſſu, in conſiſtorio, cæleſtis conſilio campo, ſimul ac meritis tuis Inſulam deberi conſtitit,

 prola-

[h] Mamert; [i] Boet.

prolatus es EPISCOPVS CHELMENSIS, prolatus autem ore, quo cæli oracula promuntur, quo Divorum apotheoses decernuntur, cujus sanctiones è Cathedra, mysteria sunt Christianæ religionis? Satis erat, & moris, Præsulem nominari edicto cujuspiam è Patribus Eminentissimis: ut immortale foret præconium, ac inauguratio tua; CLEMENS XI. MAXIMVS PONTIFEX non præconis voce, suâ Te prædicavit, jussitque ANTISTITEM. Arbitriis hisce nec cælum reclamat; quia Superos consensisse non ambigitur, dum potestas suprema in terris, & tantùm cælesti minor sensit. Præco itaq; cælestium arcanorum judicavit, Te sacras mereri vittas; edixit ornandum. Quis non acceptet? atqui arcanum est cæli. Habebis Chełma, quod Tibi invideant multæ, omnes sibi voveant Diæceses. Nec istud duntaxat. Constitit supremo Patri, omniaq; pernoscenti regimina sacrorum, saluberrimè tuis humeris sedisse Pontificii Cracoviensis molem, quoad vicaria potestate fungereris: jussus es provinciam eandem administrare, dum Sedes vacabit. Mens omnia moderari potens excubet ad gubernacula sui Pontificatus: eadem, quia de præcelso judicii fastigio latè dispicit, prospiciat & alienis. Pondera hæc quamvis immania premere possunt, non possunt opprimere animum, ut omnibus curis suffecturum, ita omnibus superiorem. Iudicio cælesti plura antehac prælusere runt. Te olim Celsissimus ANDREAS TRZEBICKI Senatui sacro Cracoviensi adscripsit non sanguinis proximi suffragio, sed ambitu meritorum, quæ pro Te perorabant, & jam tunc viam ad summa pandebant. Calculo deinde sacræ Curiæ Cracoviensis, Iudex ad Tribunal regni exoratus es, tandem votis iisdem Administrator Diæceseos Cracoviensis, nec-non Ducatûs Severiæ ad gubernacula proveheris. Tribulium suffragia meruisse magnum erat; sed infra admirationem. Merita in prospectu habent Electores, quidni suffragentur? Altiùs est judicium, cui se è longinquo, & per interpretes virtus præsentavit. At EMINENTISSIMVS BARBERINVS Poloniæ PROTECTOR, cùm decus illud Præsu-

lum,

lium, sed breve in solio Cracoviensi astrum Illustrissimus STANISLAVS DAMBSKI Te sibi in societatem curarum Episcopalium, velut Atlas Alcidem adoptavisset, Tuam dignitatem honori suo duxit, retulitq; gratias Electori perinde ut sibi præstitas. Nimirum æquissimus meritorum æstimator censuit Vaticanæ Sedi adstrui honorem, virtutibus decus addi, Te electo. Nunc autem, quibuscunq; pernotuit tua dexteritas, inconcussa animi libertas, artes gubernandi imperiis juxta, atq; ac exemplis, id solum fateri coguntur, quòd terrarum Rector non hominum judicium, sed Numinis supremi in consilium advocaverit. Superi Te nobis elegerunt: CLEMENS arbitria Cæli solùm retulit.

Macte animo ANTISTES præcelse! Spiras Tuos è Pontificibus Avos, dum alta pietate exhibes, plausuque reddis non populari. Vivebant illi in ore hominum,& famæ? vivis: tollebantur judicio summorum? tolleris: eruditis præconiis eorum fama resonabat? & Tibi eadem tuba assonat. Accepimus è fastis Celsissimum MATHIAM ŁVBIENSKI subinde ad Tuas laudes producendum sic conscientiæ bonis studuisse, sic in privato virtutes excoluisse, ut eas gloria speciosè in publicum extraxerit. Theatra dum effugeret, incurrit, nec unquã partam domi, perdidit in aprico gloriam. Magnum erat sanctissimum PRIMATEM regni nihil famæ indulgentem, multominus pendentem ab aura populari, sed in altum subducta vitæ quiete, ac velut extra homines agentem censuris hominũ non objecisse fortunam. Quocunque loci se inferret, publicum fecit: etiam tunc, dum arcanos recessus captaret, nunquam licuit esse privato. Illius ab ore pendebant Sacerdotii cætus, nobilium corona; & oraculum credebatur, quidquid is ediceret. Quid si adiret comitia? lateri Pontificio hærebat nobilitas circumfusa. At non assentandi studia, non profusæ largitiones frequentiam munificentissimo aliàs ANTISTITI advocabant; concinna morum gravitas, sanctitate auctoritas parata, nec-non gravissimè placido vultu conciliata majestas, magnes erat, qui traheret

universos. Majus, quòd nec Potentium æmulationem publicus favor, nec parium invidiam fortunæ indulgentia concitaret. Illius k IVRARE IN VERBA SENATVS, DOCTIS SVBSELLIA PLAVDERE VERBIS: Quirites amplissimi quasi communem Patriæ Patrem suspicere, mirari: sacrorum Præsides tanquam supremo capiti morem gerere. Mysterium credebatur cæleste, quidquid MATHIAS censuisset. Mirum hoc! Omnem animo virtutem amplexus, stipendia virtutum, id est livorem non potuit mereri, postquam suprema in regno decora meruisset! Amplissimum, & immortale, quòd non modò potentissimorum Poloniæ Regum, Sigismundi III, mox Vladislai IV, at etiam Pauli V, Gregorii XV. Vrbani VIII. Pontificum maximorum cùm minimè ambiret gratias, amplissimè consecutus est. Nimirũ

l IMPERII SAPIENS USUS, MORUMQUE BENIGNA
TEMPERIES, DOCTIQUE SALES, REGNIQUE PROCELLIS
EXPLORATA FIDES, ET NESCIA PECTORA VINCI

quandam benevolentiæ veluti officinam aperuerant, in qua Charites fabricarent catenas, connecterent gratias, attraherent publicum favorem, & insignia honorum, demum continuò laborarent in MATHIÆ famam. Inferior ætate, par quà actorum gloriâ, quà favore Principum, Procerumq́, dubium nascendi sorte, an artibus placendi magis germanus, venit STANISLAVS ŁVBIENSKI PRÆSVL PŁOCENSIS. Iisdem Principibus magnanimitas STANISLAI se tam planè explicuit, ut subitò mereretur regios favores, augustumq́ suffragium ad titulos eminentes, quos plurimi tantùm diutissimè sperârunt. Vladislaus itaq́ Præsuleos fasces detulit, tota applausit Polonia, tanquam tota elegisset: approbavit Vrbanus VIII, qui nec famam postea damnavit, dum oculorum judicio talem exploravit fuisse, qualem Rex magnus, qualem Polonia declaraverat. Nimirum vidit Vrbanus Præsulem Transalpinum, qualem Roma optaret sibi: audivit regium Legatum, & Polonum ore Latio perorare confessus est. Ea fuit STANISLAO dexteritas agendi, ea vis Suadæ! Secundos rumores non

fessus

k P. Karvvat S.I, in Siradia trabeata de Illustr: Mathia Lubienski. l Ibidem de eodem.

fessus ætate meruit; pæne è cunis detulit juxta, atq; sol ab ortu congenitam lucem. Vix enim teneram ætatem literis in Collegio Calisiensi Societatis IESV imbuit, patrium jus vix didicit, è palæstris, tanquam è curia Patrum, vel à præfecturæ majoris administratione rediret, vibrantem, atq; ad summa prorumpentem indolem certatim palatia Procerum, Pontificum aulæ exambierunt. Quòd primò STANISLAVM adlegerit sibi, oraculum illud Poloniæ, rerum tunc labentium fulcrum, ingeniorũ altor MATHIAS PSTROKONSKI Procancellarius, mox Cancellarius Regni, nec-non Princeps Ecclesiæ Vladislaviensis, quis miretur? Minùs se ille felicem arbitrabatur, nisi plurimos suarum communione fortunarum felices reddidisset. Præsulis namq; domus sanctissima Seminarium erat, unde Senatores solertissimi quàm plures, Præsules non pauci tanquam è fonte ingentium animarum ad salutem populi, ad Reipublicæ tutelam emerserunt: emerserunt autem consiliis instructi, integerrimis moribus exculti. At nulla cognatio, nulla necessitudo adsciverat eos; nisi quod optimus Præsul bonos, sibiq; olim simillimos adsciscerct. STANISLAVM non cooptâsset Avunculus è sorore nepotem? Cooptâsse minus erat, nisi in laborum, curarumq; Societatem assumpsisset. Illud natalium sorti, hoc virtutibus debetur. Gravissima curarum moles Pstrokonio tunc incubuerat: illius è tabulario, & officina diplomatum, in Poloniam, in Sueciam (utriq; enim regno imperia dabat Sigismundus III.) cætera item in imperia effluebant, sanctiones, consiliorum arcana, legationum instrumenta, leges privatis irrogatæ, privilegia. Vbiq; Pstroconius rerum cardo, & quasi axis, quo cæli machina revolvitur. Intestina Poloniam dissidia lacerabant; Suecia tempestate atrociori, quàm suum mare exercebatur. Arcana Regis non annulo tantùm MATHIAS consignabat: concipiebat mente provida, quodque Princeps approbaret, ille meditabatur. Horum LVBIENIVS parte non modica vel auctor, vel socius. Tanto judice, & auctore exserebat se industria saluti populorum edita: & ante canos qui-

dem, rugasque. Prima enim STANISLAO vernabat ætas: cæterùm in flore ævi messem gloriæ collegit. Quantus idem opinione IOANNIS WĘZYK Archiepiscopi Gnesnensis, IACOBI ZADZIK, & PETRI TYLICKI Episcoporum Cracoviensium, LAVRENTII, nec-non ANDREÆ GEMBICCIORVM pariter Antistitum, Felicis KRYSCH, & IOANNIS TARNOWSKI, quorum alteri majoris annuli, minoris alteri cura, & cum hoc arcana Regis, regnique commissa? Tantis placuisse, omnium ferè sæculorum judicia possedisse fuit. Hæc in Patria: jam quanto se alveo devolvit illius fama ad exteros? Plurium gentium civis videbatur esse, cùm nomen LVBIENII, nomen famæ vulgatæ foret, nomen historicorum annalibus transmissum ad secula, Oratorum elogiis immortale, omnium consensu velut communi classico latè celebratum. Illum festiva gens Pòëtarum, sed nata celebrandis Heroum gestis, Dulichiâ tubâ decantavit, nunc a UT NESTOREA LECHIÆ, nunc ATTICA MAGNILOQVIS NECTENTEM VERBA SMARAGDIS, sive illum

l DOCTIOR ATTONITO . . STUPET ORE SENATUS
SIVE SACRIS MAIOR FACUNDIA VOCIBUS AURES
FULMINAT, ATQVE ANIMOS, LYMPHATAQVE CORDA
TRIUMPHAT.

Tanta illi necessitudo cum Eminentissimis, Francisco Barberino, Cosmo de Torres, Antonio Sanctacrucio, Guidone Bentivolo Cardinalibus, Honorato Vicecomite Archiepiscopo Larisseno, Annibale Bentivolo utriusque signaturæ Referendario, cum Serenissimo Georgio Vilhelmo Electore Brandeburgico, cum plurimis per varia regna Principibus, nec-non sacrorum Antistitibus, ut mutuo literarum commercio Poloniam non modò Romæ, sed toti Europæ, quasi ponte maximo commisisse videretur. Nullus verò è Legatis Principum adivit Poloniam, qui inter admiranda illius primum non exambierit videre STANISLAVM: & nullus suam repetiit patriam, qui augustam LVBIENSCIANÆ mentis effigiem pleno animo non deveheret. Paucis: nemini eximia virtus, agendique dexteritas placebat, cui non simul placuisset Antistites simillimus virtuti. Nec morte exspira-

A Sarbieus. l P. Karvvat S. I. in Siradia trabeato de eodem.

ſpiravit nominis immortalitas, aut marmore, quo cineres, oppreſſa eſt. Præſulem vix cælo vendicârunt Superi, nomen per terras cucurrit, hîc ſuſpiria, hîc gemitus, alibi laudes, ubiq; deſiderium exprimendo. Fama Proceribus vivis indulget ſæpe, de mortuis nihil tacet. Igitur quantus eſſet STANISLAVS, dum ageret in vivis, dum impleret Cathedras Præſulea, Curias Senatoria majeſtate, auguſtalia regalis aulæ conſiliis, orbem famâ, luculentiùs patuit, quando ademptus humanis exilem urnam non ſatìs complevit. Invictiſsimus Regū Vladislaus IV. ſuccubuit dolori, quando [m] SENATOREM PRUDENTISSIMUM, GRAVISSIMUMQUE ſibi ereptum ingemuit. Polonia cùm parentaret Antiſtiti, lacrymis confeſſa eſt occidiſſe Patriæ Patrem. At Gvido Cardinalis Bentivolus inflictum Reipublicæ literariæ vulnus & ipſe perſenſit. Augebat dolendi cauſas, quòd [n] RELIGIO CATHOLICA PROPVGNATOREM ACERRIMVM, ELOQVENTIA LVMEN EXIMIVM, POLONICVS SENATVS PRVDENTIÆ NORMAM amiſiſset. Eò ſpectant, quæ ſtrictim delibavimus, ut palàm ſit ſeculis, celebritatem nominis antiquitus collecti ad Te devolutam eſſe ſucceſsione quadam, & Te Majorum famâ ad famam ſimilem creviſſe. Diſcent poſteri: quantos Stirps Tua viros progignat. A ſummis, probisque excelſo loco reponi, non jacentis animæ, neque obviæ probitatis argumentum eſt. Tibi, Tuisque veteribus quia magnarum mentium arbitria, favorque conſtantiſsimè velificantur, non meritò vos appellemus reliquias aurei ſeculi, ideas poſterorum, homines in exempla virtutum, atque fortunæ natos? Conſtabit inſuper indolem tuam nullibi ceſpitâſſe, neque à trita Majorum via tantillum deflexiſſe.

Credo ego Præſes infulate Tibi in hunc diem prodeunti adſtitiſſe, non Cautium, quem error antiquus cunis præfecerat, ut ab eo prolem acerrimam ingenio, ſubtilem acumine, gravem conſiliis, ſacrilega parentum pietas impetraret; ſed Genium Familiæ, qui tenerrimæ adhuc ætati ſic Majorum voce imprimeret Avitā mentem, nec-non magnificos Spiritus: Nos Tibi vitam attri- „ buimus in Domo, quam virtus, artesque de Patria be- „

 ne me-

[m] è vitis Epiſcoporum Plocen:

[n] Ex literis Eminent Guidonis.

ne merendi in rerum faſtigia provexerunt. Habes „
exempla, unde proficias ad probitatem, ad verum la- „
borem, ad fortunam. Quæ immenſa ſtudiorum con- „
tentione, periculis, pietate, & amore in commune „
bonum auſpicati ſumus, ea Tibi in lucem emergenti „
cum vita ſimul tradidimus: ſcilicet nomen non igno- „
tum orbi, Stemma plurimis illuſtre cognationibus, „
fortunæ incrementa, titulos dignitatum, quod ampliſ- „
ſimum eſt, normam beatè vivendi. Hiſce pro mune- „
ribus non poſtulamus à Te libertatem, quæ licentia ſit, „
non ſtudioſam rei privatæ cupidinem, vel aliquod fla- „
gitium. Ejusmodi alis fama non volitat per popu- „
los, nec ullum ad Superos effert. Sola probitas cælo „
dedicat, Divisque apponit. Hæc populos, etiam quos „
flagitia proſtraverunt, rapit in admirationem. Nemo „
ſic in nefanda prolapſus eſt, ut virtutes non ſuſpici- „
at, & adoret. Vt aliis tradas arcanam cæli ſapien- „
tiam, atque cum hac mores cælitum, utrisque ani- „
mum priùs imbue Tuum. E terra oportet explora- „
re navigationem, ſi quis habeat induſtriam com- „
mittendi claſſem, animamque ventis. At poſtquam „
in altum ſe provexit, eo vento, qui carbaſa inflavit, „
currere eſt neceſſe. Iuvabit animo frequenter obire „
atria fumoſis imaginibus referta; non vulgares neq; „
ignobiles Deos intueberis. Hæc cogitatio nihil abje- „
ctum, nihil non magnificum ſubſidere ſinet. Occur- „
rent Atavi, quos boni publici cura in grandes auſus „
erexerat: audebis paria. Advertes, quàm ſtrenuè fer- „
ro ſtirps tua religionem veram aſſeruit; Tu ſiquidem „
gladio Crucem, ſariſsâ pedum, tiarâ caſsidem, pur- „
purâ præſuleâ ſagum, & ſcutum permutabis, plura ſic „
armatus non audeas pro aris, ſacrisque? Vindicem „
veræ libertatis habebit reſpublica; Tuorum exemplo „
ſi vixeris. Hos (inquam) hortatus arcano quodam
numine, tanquam ſemina Divinæ mentis accepiſti,
ut exemplis illuſtribus vitam inſtrueres. Inſtruxiſti; &
abunde quidem. Quis enim ardor Tibi, ut Atavos, ſi
non vultu, certè animo, atque moribus reddas? Effigi-
es hæc

es hæc præſtat illi, quam celte, aut colores pepererunt?
An enim plenus Tuî diſtenderis faſtu, quemadmodum
plerique? Vt magnifica de ſe ſuſpicantur! ut ſuis in im-
menſum augent ſe imaginationibus! ſi fallacia palpo-
num ingenia comminiſcantur amplius, quod hominibus
debetur, tumida mens emovetur, rapiturque in admira-
tionem effictæ majeſtatis. Ergo idola ſuî faſtuoſo in ca-
pite fabricant, circumferunt, & ſe adorant. Si merita
requirantur, emeritos patres oſtentant: quaſi verò alie-
na integritas faciat beatos. Tu ANTISTES è meritis
patrum nihil arrogas Tibi, niſi imitationem, cumque
aliis gentilitium nomen, opes, honores, criminum loco
ſint, ubi ſocordiam, luxumq; divitiæ, dignitates faſtum,
Majorum recordatio ſuperbiæ veſaniam alunt, ut hiſce
occupatæ mentes obſtupeſcant: Tu ab avita ſanctitate
nec apotheoſim polliceris Tibi, nec inſoleſcis priſca ce-
lebritate, multò minùs audacia vires ad flagitia ſumit, è
potentia. Demum nec ceras reponis in vadimonio, cui
honos debeatur. Aliena hæc putas, non tua. Itane au-
tem? imò, & genus, & Proavi, & quæ non feciſti ipſe,
Tua ſunt. Si Duces magnanimi ferro ſubactas gentes
ſui faciunt juris, quodq; non contulerat fortuna, confert
virtus; poſteritas non degener perinde in decora anti-
quitatis quidni ſuccedat, ac in bona? certè faſtigium
avitæ laudis occupat non jure ſanguinis; ſed actorum.
Quanta Tibi ANTISTES gloria ſuccreſcit, quòd Te fe-
ceris compendium tot Majorum, quòd non decoxerit ve-
tuſtas laudes projecta in dedecus ignavia, auxeris imò,
quidquid glorioſiſsimè effulgebat? Multis ſuffecerant
ad gloriam, quæ Tibi præludia fuerunt. Illud interim
prædicare libet, quòd mentem ſic componeret maturi-
tas præcox, ut in graves ſenſus animum, nunc colligeret,
nunc diduceret prudentia, ac etiam Senatoriæ dignita-
tis pulcherrimum redderet ſimulacrum. Pariter ea ſe
majeſtate corpus magni ſpiritus auguſtale moderabatur,
ut dignos Senatore, dignos magno Antiſtite effingeret
geſtus. Nec tamen marcidæ indolis (nam & ignaviæ
quandoque gravitatis nomen occupavit) lenitas hæc;

sed judicii prudentiâ librati moderatio, decensq; temperamentum. Num in garrulæ juventutis loquacitatem veluti in scopulos prudentiæ, dicendi impetus impingebat? Sic erumpentem taciturnitate vocem coërcebas, ut arbitra cupiditate ad dicendum nunquam ora laxarentur. Quantam ergo adstruxisti fidem secuturæ ætati? jam tum jactatum est: adibit consilii publici aram CASIMIRVS, ea depromet oracula, quæ publicæ saluti, non prurienti, minusq; consultæ jactantiæ velificantur. Illum consilia reposcent, quasi Consum, ille discordes inter sic perorabit, ut ponderosa consilii facultas id persuasura sit universis, quod universos juvet. Tribunalium frequentabit curiam? non linguam, non manum exseret ad munera leges corrumpentia. Neq; autem subita alacritas ita se rapuerat in arduos calles honesti, ut impetus brevi langueret. Perpetuus Tibi cursus est ad bonam mentem. Non Tibi ætates, quibus distinguit se hominum vita, diffluxerunt more anni, qui lætissimè vernat, inde sperat ubertatem æstatis, copiam autumni; hic tamen plurima populatur, aut immutat. At quantò ferociùs desævit bruma, dum nihil propè anni relinquit anno? PRÆSVLI nostro probitas semper in flore fuit, semper autumni maturitatem, sed non vitiosam prætulit. Mutabat ætates, non mutabat animum; nisi cùm iste continuò se perficeret; primaque decora sequentibus limaret. Vitio velut communi laborat adolescentia, quòd & futilibus crepundiis in lætitias inanes solvitur, & ad sensum levioris mali ingemiscit. Floris idem ingenium est: clementiore favoniorum afflatu mulcetur, tepore imbrium lætatur, & se nutrit: sed prosternitur aquilone, exspirat ad austrum. Præsulis affectus vertigo aliqua circumegit? dubiane voluntas in odium recti, aut animus in perniciosos errores raptatus est? In summa libertate constitutus, solam delinquendi videbatur nunquam habuisse. Nam integritas immobilis, fixoque proposito recti mens obfirmata sic duravit, ut si colossus adamante exscisus staret. Fallor. Adamantem ars sæpe emollivit, attrivit interdum: Antistitem

ne voluptas quidem fortiſsima ad emolliendos, diffringendosque juvenum animos potuit atterere, vel emollire. Quod verò argumentum planius afferatur, quàm dignitates geſtæ? o *Pediſſequa novi honorū arrogantia*, cæteraque flagitiorum colluvies veſtigiis CASIMIRI nunquam inſtiterunt, at ne menti quidem (tametſi generoſas adeant plurimo comitatu) adhæſerunt. Nihil honoribus novis in eum licuit, præter quòd majorem exigerent pietatem, quòdque LVBIENIVM eriperent LVBIENIO, ut plurium emolumentis caput vaſtiſsimum devoverent.

Ecce autem altera ſinus vaſtiſsimos expandit tabula, in quam Magiſtratus referantur, quibus defunctus es, vel defungeris. Qui verò (fidem hominum) magiſtratus? E titulis ingentibus quid unquam præter ſolicitudinem decerpſiſti? ullum hinc Tibi ſupercilium? ulla quæſitæ majeſtatis pompa? an faſces capeſſere libuit, ut faſtidires ſubditos, impleres æraria? ideo curules inſediſti, ne alius occuparet? ut nominum acceſsione Illuſtriſsimam Domum cumulares? ad decus ſepulchri titulos collegiſti, ut ſub lemmate ſuperbo cadaver putreſceret? Dedecus hoc arrogantiæ tam procul Tua mente, quàm Tu procul faſtu. Quinimò ſicubi ambitus inter crimina relatus eſt, Tu Pontifex ſi ambires moderamina, non poſſes accuſari niſi nimiæ virtutis. Quippe hoc fine, hoc conſilio dignitates, & acceptas, & geris, quo Supremus moderator, auctorq; dignitatum eas mortalibus attribuit. Atqui ille non commoda privatorum, non gloriam Præſidum voluit eſſe honores, ſed curarum auctoramenta, ſed populorum integritatem. Ad clavum ſediſtis? moderandus eſt: proſpiciendum claſsi; ne fluctibus hauriatur. Eſſe in modum Spiritûs, qui animat, vegetatque membra vos oportet, ut ſitis optimi, DEIque ſimulacra. Hæc eſt gubernii natura vivere non ſibi, ſed publicæ ſaluti. Hanc quia honori Tuo dignitatem adſtruxiſti PRÆSVL, ſupergreſſus es omne faſtigium laudis. Non enim novos faſces jungis ambitu dominandi: ſi quos ut (crebrò offerunt ſe) dignaris excipere, non Tibi felicitatem quæris, ſed aliis; ut iisdem

 gra-

o *Salvianus Epiſt. 2.*

gradibus aſcendant plurimorum commoda, per quos veheris in ſublimia. Plurima id ſpoponderunt olim, præſertim quòd non violento niſu, aut feſtinato ad rerum culmina eruperis: erepſiſti. Quanquam nec repere placebat, etſi involare apices excelſos expeditum eſſet. Vltro ſe ingerebat Tibi omnis felicitas, adſpirabat favor Principum, vota optimorum velificabantur, ingentium Atavorum nomen ſuperſtes, ac merita monitores fuerunt Regibus, ut Te feſtinatis honoribus amplificatum, auctumq; majoribus Tuis adderent: non deerant ſtudia Procerum, quibus Te clariſsimæ affinitates innectebant, eorumque ſuffragia tantùm non cælo admovebant; ſed maximè Tuarum præconio virtutum collegeras celebritatem. Patebant fauſta Principum penetralia: recta hinc in templum Honoris via. Neque Tu damnabas ſacrorum Præſides, qui Principum palatia ſubeunt, & in iis, quaſi aularum genii perſtant, hærent lateri auguſto, conſilia ſuggerunt, regnorum fata diſponunt. Et ſanctiſsimos olim Præſules, aliosque è ſacro ordine, auguſtalibus Regum, ac Imperatorum affuiſſe compertum eſt Tibi. Vnde enim certior ſalus populis, integritas ſacris, profanis felicitas affluat, quàm ſi graves conſiliis, conſpicui pietate viri penitùs regnatorum animos occupent, monitis citra aſſentationem probè ſuggeſtis velut naucleri onerariam flectant, ſi impetus, quibus ſumma dignitas effervеſcit, cohibeant? Præſuleum hoc minoris fortunæ animos regere; at quantò magis eos conſiliis inſtruere, ad quorum exempla, cuncti ſe componunt? Tibi veneratio Principum poſt Deum prima; ſed è longinquo. Ædem itaq; ſimilem privatæ coluiſti, & aras. Non libebat obſequio venari titulos, qui ſola virtute emuntur. Et tamen ſic latentem invenit publicum Regni judicium, favorque Principis, intravit domum modeſtam fortuna, quam plurimi ut fædis, ſic irritis aſſentandi officiis, quæſierunt. Propè enim ex occulto in publicam lucem produceris; ſiquidem probitas latendi cupida ſecretum ſibi velut ſiparium prætendebat. Specioſum erat, Te omnes meruiſſe dignitates, priusquam

exora-

exorari posses, ut aliquas admitteres: speciosius, quod iis addiderunt decus saluberrimæ functiones. Diem hîc Tuæ modestiæ dicimus, evocamus famam æquitate partam in Areopagum, quem adieras, sed æquissimus causarum arbiter. Si quæ accusatio, contra Te instituenda est, accusandus es insolitæ æquitatis. Idem erat Te consedisse in solio judiciali, & justitiam. Adieras enim Tribunal tanquam Iupiter; sed non fulminibus armatus; nisi cum fulminanda essent crimina: adieras, *sed nulli violatus Iupiter auro* Magnum erat subsidium æqui, notitia legũ, atque constantia, quæ mentem solidabat, ut nec crudelitas facilitate opinandi dimoveret animum â vero, neque contumacia sentiendi immobilem defigeret. Duce utebaris ratione: hoc sentiebas, hoc statuebas, quod veritas, & causarum momenta suaderent. Nemo itaque Te judice circumvenit ullius fortunas, nemo execratione dira damnavit, at neque objecit violata fidei pignora, empta judicia, venalem curiam, jus eversum, aut infra largitiones justitiam. Egestas opibus nuda, æquitate locuples pulsabat forum, & aures? admittebas, decernebas, non favore suffragium promente; sed æquitate. Opulentissimum non rarò scelus in judicium vocabatur, dicebatur dies pinguibus fortunis: intensæ liti nihil profuit strepitus felicitatis, si innocentia pro capite, aut fortunis causam non peroraret. Par arbitrium dispensavisti felices inter, ac ærumnosos. Si conjunctissimum sanguine, vel amicitiâ contigerat accersiri judicio; veniebat tanquam extraneus, & ignotus. Nunquam enim Te judice actio criminosa triumphos egit, quam sola potentia, vel opes, aut necessitudo tutaretur: nunquam causa concidit, quæ niteretur æquo, validoque legum præsidio. Nec locuples crimen meruit favores, nec innocentia pauper expalluit. Gratulabatur ergo infelix pauperies Te judicem causis obvenisse: talem suæ posteritati, talem omnibus, qui præter æquitatem & lacrymas nihil ad judicium afferrent, nunc tacitis nunc exsertis in vocem precationibus judicem postulabant. Quocirca rediisti à tribunali non ditior, sed lau

* Iuvenalis Satyr XI.

[illegible] ...ia, quàm ſummis. Tu nagitia, vel ſententiam vendideris, qui proprias etiam fortunas poſtquam in ſubſidia calamitatum expendiſti, ditiorem Te putas, nihilq; magis Tuum, quàm quod erogâſti? Nullius indigentia Tibi occurrit, cui non ſuccurras. Supplicant, opponunt injuriæ cauſas, lacrymis perorant: ſatis eſt vidiſſe. Imò nec oculis opus eſt, ut conſultum eas indigentiæ: aures beneficas habes. Quos enim verecundia paupertatis arcet aditu, conſpectuque Tuo; convenis beneficiis. Vt mereatur inops gratias, ſufficit egenum eſſe, & ſciri. Eſuris inter menſas, dum eſuries macra mendicat: nec Te veſtitum arbitraris purpurâ etiam Præſuleâ, ubi nuditas paupertatis laceræ oculis obverſatur. Miſerorum quippe fortunæ ſunt, quas ærario condidiſti. Condidiſti enim vero? ambiguum eſt, affluant citiùs, an effluant. Eſt tamen beneficentiſsime ANTISTES, quod tantæ liberalitati objiciatur. Munificentiſsimum Te præſtas cæteris: Tuo nomini parcum. Largiris plurima, tenuia dotibus matrimonia ſublevas, ſubvenis ex occulto verecundæ mendacitati, interim obducis velum liberalitati. Quid aliud eſt iſtud, quàm locupletare alios, nomini Præſuleo detrahere, detrahere exemplo? Famam certè emeret munificentia, quæ neminem ſinit inopiâ ſtringi: æmulandi neceſsitas plurimos provocaret in ſimiles erogandi uſus. Libet repetere: parcus es nomini Tuo. Intercedere caſibus egenorum vilem duxiſti munificentiam eſſe, ſi pariter cælitum non fores mecænas. Quid itaque? Quas Tibi facultates Divina obtulit largitio, aggeris, expendis velut ærarii cæleſtis præfectus. Attollit ſe mole auguſtiſsima templum, quod pietatis juxta, ac ſcientiarum ſtudioſa Cracovienſis ACADEMIA, tam magnificè conſtruxit, ut cæli faciem referre videatur. Exſurgit annumerandum miraculis mundi Mauſolæum, quo cineres Divi IOANNIS CANTII conduntur. Artemiſia vix egit plura; etſi amor dolore amens, luxusque ſuperbiſsimè parentans plus opum effunderet, quàm lacrymarum. Multum Tuæ PRÆSVL liberalitatis in hoc mo-

numento

numento exſtat: adoras Poloniæ Tutelarem, ſcientiarum lumen, ſanctitatis apicem, Academiæ ſidus. In cineribus etiam minutis maximus Tibi eſt CANTIVS: litas illi aurum, cor appendis. At Divus quondam immaniſſimus honorum hoſtis, eas Tibi pro merito infulas exorat, quæ maximum caput ambire queant. Dum verò ſæviſsimus turbo concitavit aërem, armavit ventos, cæli quoq; iras, quas ſoli merebamur, advocavit in ſubſidium, turrim altiſsimè eluctantem, Tui Avunculi Illuſtriſsimi TRZEBICKI immortale opus proturbavit, concuſsit tecta ædium ſacrarũ, tumultu ſacrilego Divi STANISLAI ſepulchrum violavit, temeravit Regum Mauſolæa. Ruinis tam dolendis animum Tuum concuti, involvi, tantùm non ſepeliri inter rudera, ſentiebas. Sed dolor non obriguit ceu Niobe tot inter ruinas, nec animus cecidit, dum ſudata ſeculis opera conciderent. Subitò mentem erexiſti, datis per Diæceſim literis, non ſecus atque claſsico vocali accendiſti ſtudia munificentiæ, Tuam comprimis manum admoviſti, ut non plus literarum dares, quàm nummorum. Indignum videbatur ſacra triſtiſsimo ſitu ſqualere, nec templorum faciem exporrigi lætiorem, quàm tunc eſſet Patriæ. Cùm infortunia mortalium ſuſtentas, Divorumque Mecænas es: vivam Te avitæ pietatis imaginem feciſti. Etenim tot ſtatuas, aut coloſſos ſuperbia Principum antiquorum vix propoſuit; etſi famæ cupidiſsimè laboraret: quot exſtant monumenta, quæ Tuorum munificentia latiſsimè produxit. Quàm auguſtum illud templum Buzenini? at liberalitate Proavi Tui MATHIÆ PSTROKONSKI erectum eſt. Vt etiam ſimulacra haberet immortalia Pontifex immortalitate dignus, præ facie templi viſuntur Statuæ Divorum ADALBERTI, & IGNATII Parentis Noſtri hinc, inde STANISLAI Antiſtitis Cracovienſis, nec-non Indiarum Apoſtoli FRANCISCI XAVERII. Fruſtra quis alio ſtatuarum honore ornet PSTROKONIVM; Divorum ille ſtatuas cùm vellet proponere, propoſuit ſuas. Quod enim ectypum, quæ ſpecies ſuum expreſsiùs Divum referat, quàm ſingulos

MATHIAS? Invicti illius pugilis Roſini, nempe ADALBERTI, & abnepos erat prolixa generis ſerie, & ſpirans imitatione ſimulacrum. Perinde enim illius ſpiritum accepiſſe, ac Stemmata videbatur. Iam STANISLAVM ut Pontificiali dignitate referebat, ſic magna mente, ac pietate. Qui IGNATIO, qui XAVERIO proferendæ Religionis Chriſtianæ, virtutumque ardor, idem MATHIÆ. Minus ducebat inanima IGNATII ſimulacra colore; niſi & ſpirantia, non benevolentiâ tantùm, at munifica manu complecteretur. Quidquid fortunarum è cenſibus Pontificiis frugali vitæ ſuperfuit, totum Collegio Premislienſi Societatis IESV legavit; ut quos filiorum loco habuit, heredes faceret ex aſſe, ſuamque benevolentiam redderet immortalem. Aulæa Præſuleos parietes ornabant; detraxit, contulit eidem Collegio, ut ſacra honori, nominique IGNATIO ædes, quam ſuis præferebat palatiis, veſtiretur. Quia ſanctiſsimis inſtructam inſtitutis, ac moribus perſpexerat CARMELITARVM DISCALCEATORVM Familiam, in qua Virginis admirandæ, & ultra viros TERESSIÆ non nomen tantùm, ſed etiam ſanctitas vivit: ſacram ex Italia deduxit Coloniam, Cracoviæ locavit, providit, ne contemptoribus fluxorum ſubſidia frugalis vitæ deeſſent. Demum Eccleſias hìc ornavit, procumbere vetuit alibi, alibi cenſibus inſtruxit plures quã nonnulli inviſere. Eam è ſanctiſsimi pectore Avunculi pietatem MATHIAS, & STANISLAVS LVBIENSCII hauſerant, dum illius in palatio primos annos formarent, & animos ingentes conciperent è Pontificum exemplari. Inſenuerat ille agendis rebus; ſed nunquam avulſit animum à cogitationibus publicæ ſalutis. Tremulæ ſenio manus paſsim arctantur: aggerunt opes, ut rapinis poſt fata objiciantur. Communi pene vitio ſenectutis non patuit MATHIAS; quin eò vivaciùs movebat lacertos alacritas largiendi, quò deteriùs ætas defecta fatiſceret. Ibit ad memoriam poſterorum effuſa, & ultra prodigalitatem in Superos, egenosque liberalitas infulata. Munificum eſſe pluris ducebat, quàm Pontificem, ac etiam PRIMA-

TEM

TEM Regni. Multis defunctus est Magistratibus: ubique plura beneficæ voluntatis insignia reliquit, quàm imagines suas, vel Stemmatum formas. Pontificium Chelmense gessit? Concilium Provinciale coëgit, ubi Dioecesi mores traderet suos, Divinos imò. Panegyris hæc panegyres illi millenas peperit. Dum mores laceros sarciret; templum etiam Crasnostaviense in ruinas pronum decori primo reddidit. Eminuit Tiaris Posnaniensibus? ornamenta hîc innumera ex se, plurima reliquit è supellectili sacra. Vladislaviense adiit Pontificium? at veluti Præsuleæ sinu togæ deferret beneficia, & excuteret. Sacerdotum auxit Collegium impendiis, numero deinde; ut continuò laudibus Divinis vocale templum resonaret, ut neque nox dormiret, & aurora concentibus piis excitaretur. In solium tandem Gnesnense evectus, hoc egit, ut quemadmodum esset PRIMAS, primusque Princeps Poloniæ, ita beneficentiæ in Superos ac templa invaderet Principatum. At Miechoviæ, ubi sacro cætui subinde præfuit, quàm venustè ædium vetustatem abolevit, atque in eam magnificentiæ formam extendit, quæ comptius seculum deceret? Calisiense Societatis IESV Collegium memoretur? amplissimè KARNKOVIUS Gnesnensis Archiepiscopus tenuitati nostræ providerat: cæca tamen Minerva videbatur esse, cùm in vastis Scholarum ædibus noctes habitarent. Illustrissimus MATHIAS expunxit umbras, reddidit suæ luci Musas, ex Academo tenebris inhorrescente, Athenas fecit. Posthumum opus est; sed immortale. Quis non attollat encomiis, quòd Musas altrices quondam suas coluerit, atque discipuli nomen verterit in titulum, gratiasque Mecænatis? Nec ideo profundebat opes, ut famam mercaretur. At sæpe hîc sumptuosa est arrogantia, sæpe superbia molitur ædes, exornat aras, ut se colat, utque sacrum profanissimæ vanitatis monumentum ad memoriam transmittatur. Sed fastus hic, & sacra temerat, & nomen non consecrat Mecænatis. MATHIAS effusione opum solam Optimi Maximi Numinis gloriam augebat, utque piissima voluntas Superis gra-

 taretur:

taretur. Argumento Vanckovia ſit, ubi ille fonte ſacro tinctus eſt, at deinceps, ut gratiarum memoria perennaret, templum opere laterìtio ſtruxit: tanquam ipſiſmet beneficiis ſic loquetur: hic ego renatus; hic naſcatur meis ex impendiis domus ſacra. Iam STANISLAVS LVBIENSKI non tam ad moderandam, quàm ornandam Diæceſim Plocenſem videbatur provectus eſſe, cùm totam beneficiis latè pervagaretur. Primò interim laudibus attollendum eſt de Superis, ac ædibus ſacris meritum immortale. Regium illud opus, baſilica Plocenſis vetuſtate vitiata ruebat, tantùmq́ aberat, ut ipſimet tumuli tot Pontificum, Principum, Regum etiam ſepelirentur, horridumq́ ex ara auguſtiſsima fieret ſepulchrũ. Oppoſuit STANISLAVS libertatem gentilitiam, ut cum temporis malignitate confligeret. Quare *ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum* tam firmo munimine, ut ſi novum erexiſſet. Præſtitit hoc ut ſanctiſsimus PRÆSVL; ut ſapientiſsimus verò, dum Collegio ſacri Senatus Plocenſis bibliothecam obtulit, Præſuleas enim verò gazas. O ſi mentem quoque omnigena eruditione, ſcientiâque inſtructam reliquiſſent fata! amaltheâ hac nihil ſapientius Plocia haberet! Præterea ſparſit gratias velut auream ſementem tota Diæceſi, ſed comprimis in Pultoviense Collegium, ut Societatem IESV probaret ſuam eſſe. Atque, ut ſunt Quiritibus longæ manus latiſsimè excurrit beneficentia Præſulis. Vt Cracovienſem ACADEMIAM beneficiis fovit! ut Minervalia Magiſtris ſcientiarum obtulit! ut contubernii Noſcoviani res arctas munificè ampliavit! Sic ingeniorum, ac literarum meſsis lætior effloreſcit. Et certè nullum impendii genus in majore cenſu gloriæ reponendum eſt, quàm ſi largitio non parca foveat viros, qui ingenio cenſentur; ne vile ſint vulgus, qui ſupra vulgum efferunt mentes. Omnium quidem Procerum præbere publicum favorem Muſis, quæ non modò præſtant, ne inculta barbarie ſylveſcant regna, ſed ipſiſmet mecænatibus nominis claritatem his conferunt, illis pollicentur, ſummaq́ capita ad judicium poſteritatis vocant; ſed maximè Pontificum intereſt.

p. Ecclef.

Horum obſequiis advigilant literarum Præſides, his exercitum ſcribunt, qui ingenio, linguâ, calamo dimicet pro Religione. Celſiſsimum ANDREAM TRZEBICKI tantùm non ſilentio præterimus, quem adhuc recentia merita erga Diæceſim Cracovienſem celebrant præconiis beneficiorum. Sileat Societas IESV: loquuntur ædes, quas Cracovienſi Collegio modeſtiâ quidē religioſa eminentiores ſtruxit, ſed pares Præſuleæ, quâ majeſtati, quâ conſtantiſsimæ in nos benevolentiæ. Hic illi quondam Stagira, ubi poſt manſuetiores Caliſsii literas, coluit Ariſtotelem: ut autem doctius Lyceum efficeret, bibliothecam obtulit ſuprema voluntate. Legimus in tot monumentis, quidquid eſt ſapientiæ; ſed omnes inter apices nihil ſæpiùs legendum occurrit, quàm Præſulei favores. Parem beneficiis gratitudinem cùm referre non valeamus, feremus perennem memoriam. In communionem obſequii advocavimus ſocios, qui toti mundo ſua nomina permiſcent. Contendimus etiam cum cælo, & licèt non æqua ſortione, diviſimus tamen Præſulem. Spiritum cælo debitum vendicârunt Superi: nos corpus, illudque cor, quo ſemper ferebamur. Habes PRÆSVL magnos Antiſtites, quorum in Te, velut in ſpeculo relucet pietas, ac munificentia.

Inſigne eſt, quòd ſqualorem egentium inexhauſtæ liberalitatis radiis perfundas, quòd templa ornes, & reficias. At tantò ſtudioſiùs culturæ animorum inſtas; ſiquidem conſtat eos præſtare corporibus, & pernicioſiorem fieri ruinam ſanctitatis, quàm ædium ſacrarum. Vix itaque adminiſtratio Pontificii Cracovienſis ad Te delata eſt, huc omne ſtudium contuliſti, ut potiùs regimen animorum exerceres, quàm bonorum. Diæceſis hæc tam vaſtè excurrit, ut regnum facere non exile poſſit. Tu quamvis plerumque Cracoviam incolis, omnibus tamen partibus gubernium ſolers adeſt non ſecus, ac mens quædam immenſa, atque in omnes caſus exporrecta. Abes, & patent abſenti ſpatiis ſejuncta: abes, & hortaris, doces, reſtauras. Huc manus ad præmia protendis, huc ad pænas. Quo præſtitum eſt, ut quæ vere-

cundia coërcet, ſic vitam componant, tanquam Tuis o-
culis admoti viverent: qui non ſunt probi amore virtu-
tis, Te judicem vereantur. Nec piget luſtrare Provin-
ciam oculis: ſed quo Eccleſiaſticæ rei commodo? ſicubi
diſciplinam elanguiſſe, aut abolitam jacere deprehendis:
animas, erigis, & ſubitò conſequitur corrupti moris mu-
tatio, tanquã non imperaveris vitæ elegantiam, ſed Te
cum devectam impreſſeris & animis, & templis. Nam
pariter mores, ac aræ nitent Te veniente. Quæ ve-
rò anxietas mentem vellicat, ſi curioſum ad inepta vul-
gus, incuriũ ſalutis vivat, ſi cultum DEI negligat, ſi fe-
ſtos dies profano opere, vel, quod ſceleſtius eſt, ludis, com-
meſſationibus, petulanti chorearum vertigine inceſtet?
Nefandis quidem, placidus tamen, & efficax evenis
emendator. Et pæna placet, quam infligis, & lenitas,
quâ demulces. Non enim tractas vulnera Galeni mo-
re, qui doloribus medetur alienis, at nullo doloris ſen-
ſu afficitur. Nec ædes ſunt officina fulminum, ſed gra-
tiarum. Supercilium illud, quod modeſta attollit maje-
ſtas, vultus à cælo delibatus, oculi amæno ſplendore pel-
lucidi, ſunt inſtar ſpeculi, quod animi candorem evibret,
omniaque humanitatis jura, etiam Te ſilente eloquatur.
Quid tandem? ſi errores plecti ſit neceſſe, plectis; at non
irritas: exſtinguis flammam, non nutris. Nam pænæ nec
crebræ, nec ultra lenitatis menſuram infliguntur. vultus
ipſe, & decretorum formulæ palàm exhibent, Te non irâ,
non vindictâ concitari, ſed amore peccantium, in quibus
nihil odiſti, præter crimen. Hinc ſcelera, quæ rariùs, mi-
tiùsq; punis, rariùs committuntur, nec vetus diſciplina
collabitur, quam languida in pænas manus ſuſtentat.
Virtus itidem quibus non placuit pretio ſui, placet Tui
reverentiâ, & lenis caſtigatio feliciùs proficit, quàm ri-
gor violentus. Proclamatum itaq; eſt, ſimulacra virtu-
tum à Te non cudi è marmore, vel ære; ſed fingi è mol-
li cera, aut certè ingenia, quæ inſtar pertinacis metalli
obriguerunt, in maſſam ductilem liquari. Sic perditum
facinoribus ſeculum abſolvit clementia, vigilq; ſolertia.
Sed neq; eloquii parcus es. Non equidem ædificas ver-

ba

ba magniloqua, ſed ad dignitatem † rerum, nec-non Præſuleæ poteſtatis exſurgit oratio, ſeque liberalitas ingenii felicis magnificè exporrigit. Conſonat moribus oratio, qui cùm ſint non horridi, ſed tam compti, ut neque infeſtus magnæ virtuti livor habeat, quod objiciat integritati, dictionem pariter venuſtiſsimam, & animo ſimillimam lingua efformat. Sed morum culturam enixiùs, quàm verborum conſectaris. Quos ſua ſimplicitas, aut prona in lapſum fragilitas fecit obnoxios culpæ, leniſsimè revocas in viam recti. Namq; Ambroſium induis, ut nectar eloquii condiat acrimoniam virtutis. Qui ambitioſo errore præcipites ruunt in exitium, ut ſuperbè intereant, contra Gigantes hos agis Periclem, fulminas mori paratos. Argutiorem nihilominus putas ſuadam, quæ moribus perorat, quàm ea ſit, quæ verbis. Eam ob rem agendo præclara, ſuades, jamq; integritas Tua tranſiit in legem cenſoriam, & præconem honeſti. Quamvis autem continuus ſis virtutum exactor, nunc maximè, ubi convulſam, veriùs everſam defles Patriã. Vt enim nauticis pericula majorem ſuadent pietatem, dum furiis ventorum mare inflatur, & inſanis vorticibus inquietum oppugnat, laceratque naves, quàm ubi dormit pelagus: ſic Tu ANTISTES ardentiorem DEI cultum nunc imperas, vota concipis, & ipſe ſupplex Regum ac regnorum, Arbitro. Raræ pietatis exẽplis annumeravimus, quòd ſodalitatis D. BARBARÆ præfecturã non duxeris Pontificiam infra dignitatem eſſe. Præes itaque ſacro cætui, & officio, & pietate, atque etiam hoc modo STANISLAVM ŁVBIENSKI refers. Dederat ille Sodalitati Gracenſi SPIRITVS S. nomen, quod tanti fecit, quanti honores cunctos, quibus in patria fulſit. Hoc ipſemet literis teſtatus eſt, uti etiam ſuum ibidem animum ſemper manſiſſe. Quid de magnitudine animi dicendum? quàm nullis officiorum vorticibus volutatur, nullis hauritur fluctibus negotiorum? Quanti curarum æſtus incurrunt? viſitas Diæceſim, è longinquo cognoſcis cauſas, templa dedicas, inauguras ſacerdotio, judicia peragis,

† Dec: 3. Ep: Stan: Lubienski Anno 1636.

tota gemini Episcopatus administratio Tibi incumbi sed cùm opus arduum majore truditur, venientia neg tia existimas esse curarum laxamenta, Teq; laboribus r fici ad labores. Multæ his mentes hebescerent, tantù non alienarentur. Tibi nihil Te excutit: quia semp Tecum habitas. Sic animus in edita arce eminet, omni que tela infra illum cadunt! idem tamen quàm summi sus? Vt famæ des aliqua, dignitatem putas Præsuleam ut aulam augustalis instar excolas, dapsiles instruas mensas: luxum. Neque excubitorum tumultu, aut numerosis ephæborum agminibus completur domus, modestc cultu refulgent parietes, intraq; ædem Pontificiam habitat frugalitas, præsidet modestia. Quodsi publico Te committas, virtutum pompa circumsistit, constatq; è paratu re Pontificem, non Dictatorem Romanum.

Admiranda hæc non miramur; quia transiit in naturam Tibi agere magnificè sed modestè. Qui subitò ad culmen emergunt parvis è fontibus, eorum immodesta majestatis aucupatio patitur censuram. Novi homines, malè contorquent lumina, tanquam cæco ex antro producerentur. Vultus induunt superbos, ut rugosi nominis avitâq; famâ decrepiti putentur. Tu scenas agere ad gloriam inglorium putas; cui sic mores antiqui sunt, ut nobilitas: siquidem Vieniavitæ simul cum Christiana, religione Poloniam adierunt. Cùm enim MIECISLAVS primus DAMBOWKAM Boleslai Bohemorum Regis filiam, in regni, & thori sociam acciperet, Dobieslaus è stirpe Lastkonis Reginæ Comes, mox curiæ Magister in regnum hoc delatus est. Atq; ut erat perinde animi dives, ac opum, amplas ditiones consecutus est: auctum deinde & filiis, & nepotibus nomen. Brevi Boszuta hac è Gente ad clavũ sedit Archiepiscopatûs Gnesnensis, inde alii, in hæc tempora tam splendidè eminent, ut nullum Polonia honorem habeat, quem Vieniavitis fortuna, ac merita non detulerint. Facinore demum atroci constitit, verùm (nam semina futurorum DEVS abscondit) fortunata mutatio, cùm Stemmatis, tum novæ felicitatis. Etenim Illustrissima natio Pomianorum,

quorum

quorum pars augustissima estis ŁVBIENII, virtutis arā, Senatûs curiam, Heroum patriam domi habet. Ad Vos Infulæ, curules primæ, purpuræ, omnia dignitatum nomina convolârunt. Quidquid splendoris affulget Koniecpolsciis, Gomolensciis, Zapolsciis, Przerembsciis, Roxyciis, eodem è fonte alti Sanguinis defluxit. Dum etiam proximo Sanguinis nexu felicitas nascendi annexuit Te PSTROKOŃSCIIS, TRZEBICCIIS, DAMBSCIIS, CIENSCIIS, aliisque Proceribus, quot Soles Illustrissimo Tuo Nomini affulgent, quā serenitatē affundūt? Nec stemmatis simulacrum inane est. Quid enim? caput Bisontis eminet? consilium regnare in domo Vestra certum est. Gladius transfigit Caput? ut constet ŁVBIENSCIOS, & mente in consiliis, & ferro in bellis triumphare. Laudatissimum verò est, quòd nunquam q *perjuro ense superbus Annibal* apud vos nascatur: sit autem vester r *gladius ut Catonis assertor reipublicæ*. Domus enim Vestra Senatoria perinde, ac bellica, Consocaput, Marti ferrum constantissimè devovit. Illustrissimus SIGISMVNDVS ŁVBIENSKI Vexillifer Siradiensis, Genitor Tuus STEPHANVM CZARNIECKI veluti Iolaus Herculem secutus, non priùs gladium dimisit, quàm vitam. Et Illustrissimi BOGVSLAI Germani Tui nomen consonat famæ, quum artibus bellandi probat se genitum, præliari parente. Nec stirpis Maternæ serpit gloria. Illustrissima enim Parens virum debet magno illi Principi nobilitatis in districtu Varsaviensi, mox Palatino Derpatensi. At OPACCIORVM Prosapia, Senatorum domus est, nidus ingentium Heroum, Principum nobilitatis, Legatorū in varia regna. Quis demum recenseat Illustrissimas, ac etiā Serenissimas affinitates? Hoc enim fædere (ut taceam alios) illigati estis ZAMOSCIIS, LESZCZYNIIS, MORSCIIS, Ducibus WISNIOWIECCIIS, proinde Serenissimo MICHAELI Poloniæ Regi, quē non modò affinitates proximæ, at etiā consanguinitas junxit tam Orientis, quàm Occidentis Imperatoribus: ut inter decora Domûs, sceptra etiam, & coronas recenseretis.

Vt Tuas coronaremus laudes postremo loco deduximus Illustrissimos Proavos, Avos, Parentes, augustissima

I 2 sima

q Stat: lib: 4 Syl. r Senec Epist: 14.

ſima nomina. Aliunde non affluat frequentia, domeſtica ſatis eſt pompa. Habes hic primos Principes Regni, Præſules ſanctiſsimos, Senatum ingentem, Principes nobilitatis, Heroas, omnia dignitatum nomina. Occurrit Illuſtriſsimum, ut Tu vocare dignatus es, Capitulum, Capita infulis ornanda! Antequam ipſe venires, Tuum Senatum conveniſti officiis, at quàm Paternis, & ex ingenio venuſtatis? ſed ampliorem vultu, ſinceraque benevolentiæ ſignificatione exprimis affectum, quàm literæ poſſent. Admittes & Societatem IESV in conſpectum. Tuam reputa, quam ſui juris fecerat Tuorũ favor Majorum. Exili numero occurrimus; Pontificia tamen ſumus caſtra. Militabimus honori Divino, Tuoque Nomini, è nutu Præſuleo. Quidquid imperaveris, factum puta. Hactenus indulſimus tripudiis: indulgendum etiam mærori eſt. Iam enim Pontificatus alii Te ſibi pollicentur: omnium votum es Diæceſeon, ut præſis omnibus. Dolemus itaq; alieno voto, dum felicitati noſtræ timemus. Deprecabimur tamen Superos: mereare omnes Infulas, admittas paucas, ut noſtra tenuitas Te columine diu ſuſtentetur, magnisque ſe votis impleat.



